



Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

28. Idem S. Henricus Aquisgranense Canonicorum S. Adelberti collegium
an. 1018. fundat ac dotat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

racensis & Atrebatensis an. 1012. deceſſit, ſuccedente Gerardo eo nomine Primo.

Ceterū an Episcopo, an verò ecclesiæ Cameracensi datus fuerit Comitatus Cameracensis, Nicolaus Euerardus, Praeses Mechliniensis, in ſuis Consilijs diſputat.

Cameracensis porrò Antistes iſtis hodie titulis utitur: N. Archiepiscopus & Dux Cameracensis, S. R. I. Princeps, Comes Cameracensis.

COMITEM eligendi) Lector curiosus notet, olim Lotharingiæ ſuperioris & inferioris, adeoque Belgicæ noſtræ Epifcopos habuiffe ius eligendi & conſtituendi Comites in ſuis ciuitatibus, qui ius gladij exercebant. Hinc Comites Cameracenses, Atrebatenses, Treuerenses, Metenses, Virdunenses, Tullenses, & alij qui paſſim in medijs eui historijs occurruunt.

Coloniæ Agrippinæ etiamnum Comes, Greue, ab Archiepifco-
po conſtitui ſolet, qui ius gladij exerceſt.

Inſoleſcentibus poſtea Comitibus (ut de Cameracensibus Bal-
dericus in Chronico teſtatur) Epifcopi plerique Comitatuum dig-
nitatem ac titulum ad ſe traxerunt. Hinc Tullenses, Virdunenses,
& alij Epifcopi hodieque Comites nuncupantur.

C A P V T X X V I I I .

*Idem S. Henricus Imp. Aquisgranense Canonicorum S. Adelberti
collegium an. 1018. fundat ac dotat.*

Quoniam indubitanter ſcimus in conſpectu Dei placere San-
ctorum loca instituere & ſublimare, ſpe diuinæ remuneratio-
nis, pro remedio animæ noſtræ, coniugisque noſtræ dilecta CUNE-
GUNDIS videlicet Imperatricis Augustæ, nec non parentum noſtro-
rum, tum etiam pro confirmando ſub diuina protectione regni no-
ſtri ſtatū, ecceſiam in honore S. ADELBERTI martyris & Epifcopi,
in monte contermino ſedi noſtræ Aquensi, à nobis fundatam, om-
ni libertate donamus, eidemque ecclesiæ omnieni possessionem, quæ
eft inſra murum, quæ dicitur Bruell, cum areis, ædificijs, agris, filiis,
pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, exitibus, redditibus,

Vijs

vijs & inuijs, seu cum omni vtilitate, quæ vllatenus vel nominari
vel scribi posset, tradimus

Anno Incarnationis Domini millesimo decimo octauo, Indictio- 1018.
ne prima, regni nostri decimo septimo, Imperij autem quinto.
Actum Aquisgrani feliciter, amen.

N O T A T I O N E S.

Aquisgrani duo sunt Canonicorum collegia *Marianum*, & *Adelbertinum*. Frius Carolus Magnus Imp. fundauit, & in basilica rotunda, quam in palatio suo ibidem in honorem Deiparæ construxerat, refidere voluit. Dotem postea auxit Otho primus Cæsar, ut & numerum Canonicorum ampliorem fecit Notgerus Leodicensis Episcopus; in qua diœcesi sita sunt Aquæ Grani.

Palatium porro Aquisgranense Godefridus & Sigefridus Normannorum Reges an. 882. incenderunt & vastarunt: ut Sigebertus in Chronico testatur. Capella autem seu basilica, à fundamentis per Carolum cum peristylijs solidissimè constructa, hodieque perstat forma rotunda, columnis marmoreis, fornice concamerato, cum cancellis ac portis æreis, alijsque ornamentis, quæ Eginhartus in eiusdem sui Principis & heri vita describit: ut coram aliquando, cum admiratione spectantes, obseruauimus.

ADELBERTINI templi, quondam extra, nunc intra muros Aquisgranenses in rupe siti, fundamenta Otho III. Cæsar (cuius tumulus in Mariana basilica iam laudata visitur) suo ære posuit: S. Henricus ædificium perfecit, & Canonicos amplis prædijs dotauit; ex quibus multa in confinibus Brabantæ & Zelandiæ, tertio lapide ab Antuerpiâ, circa *Batzen toren* aquis absorpta perierunt; ut & dicta *Batzen toren* turris: quæ medijs in aquis, haut procul à Lilloa, velut specula eminebat, sed marinis fluctibus exesa ante paucos annos concidit. Erit tamen, ut spero, aliquando, cum amplum istud olim terrarum spatiū, alluvionibus auctum, posteritas ab Oceani fluctibus vindicabit, Aquisgranensem, Antuerpiensem, & aliorum bono.

S. **CYNEGUNDIS**) Augusta, S. Henrici II, Cæsaris coniux, & virgo, an. 1040. ad meliorem vitam transiit, Bambergæ condita in Benedictinarum coenobio à se condito. De utroque, ut & de S. Adelberto, in *Martyrologij Röm. Fastis* legitur.

H

CAPUT